



Dissertatio juridica inauguralis de hereditate vendita

<https://hdl.handle.net/1874/343315>

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
HEREDITATE VENDITA.

^{QVAM}
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Ex Autoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiæ, & Historiarum Professo-
ris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicus consensu, Nobilissimaque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU LICENTIÆ

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit.

JOHANNES KERSTING, Hasso-Liebenaviensis.

Ad diem 8. Decemb. hora locoque solito.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc loc xc.

DISSERTATIO IURIDICION
IUKIUGOKAKIS
DE ESTETATE VAN
D E O
PRINCIPIH
ET
F A U T O R I B U S.

Ex Officinis Franchisiorum HALMA Academici
Typographi, et Precec xc.



DISSERTATO JURIDICA
IN AVUGURALIS,
DE
HEREDITATE VENDITA.

ARTICULULUS I.

De emptionis & venditionis origine haud ineleganter differit *Paulus in l. 1. ff. d. contrah. empt.*, cum enim nulla regio sibi sola sufficiat *Arist. 1. polit. cap. 6.* sed quævis terra quibusdam rebus careat, quibusdam abundet, de quo *Virgil. 1. Georg. pulchrè canit*: hic segetes, illic veniunt felicius uvæ &c., dominiumque illud universale, quod Deus *Genes. cap. 1. vers. 28. & 29. cap. 9. vers. 2. & 3.* homini largitus est, per occupatam rerum possessionem passim in dominium particulare & proprietatem degenerarit, factaque sit divisio *Can. 2. caus. 12. quast. 1.* atque Meum & Tuum enata, nec non industria humana ob diversa ad usum vivendi necessaria in diversis inventionibus & artificiis operam posuerit, proindeque aliis propter abundantiam ut plurimum inutile, quod aliis utile esset ob indigentiam, alienum autem invito domino surripere natura prohibuisset *l. i. §. 2.*

4 DISSERTATIO JURIDICA

ult. ff. d. furt. l. 42. ff. d. V. S., contractus, quibus mediantibus,
quod alterius est, nostrum fieri potest, adinventi sunt.

I I.

Et primò quidem unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat *dipl. l. 1. pr. ff. d. contrah. empt.* cùm vero permutatio illa difficilis esset, & vix ad regulas æquitatis semper & ubique reducenda *Caramuel. in theol. moral. lib. 2. disput. 16. n. 813.* reperto nummi usu hodieum emptio venditio frequentissima est, commercio humano maximè necessaria *Zoës. ad tit. ff. d. contrah. empt. n. 1.* quæ describitur plerumque, quod sit contractus juris gentium, consensualis, nominatus & bonæ fidei, quo agitur ut res pro certo pretio in alium transferatur.

I I I.

Possunt emi vendi res omnes quæ sunt in commercio *l. 34. §. 1. ff. d. contrah. empt.* tam corporales, quām incorporales, tam particulares quām universales, qualis est hæreditas, *Vid. tot. tit. ff. & Cod. de hæredit. vel action. vend.*; cùm autem circa hanc venditæ vel venditæ hæreditatis materiam non paucæ passim in foro controversiæ occurrant, certis rationibus motus ipsam pro themate inauguralis dissertationis elegi, & in quantum ferent exiguae vires temporisque angustia, sequentibus pagellis discussiam breviter; quod ut commodiùs fiat, præmittenda quoque est hæreditatis definitio, quæ rectè dicitur successio in universum jus, quod defunctus tempore mortis habuit. *l. 24. ff. d. V. S. l. 62. ff. d. R. f. l. II. ff. d. divers. & temporal. præscript.*

Patet ex datâ descriptione, viventis nullam esse hæreditatem, id quod confirmat *l. I. ff. d. hæred. vel action. vend.* licet enim liberi

beri vivis etiam parentibus quodammodo domini bonorum paternorum existimentur, & post mortem patris hæreditatem ejus non percipere, sed magis liberam bonorum administrationem consequi censeantur, §. 2. *Inst. d. hæred. qualit. & different. l. II. ff. d. liber. & posthum.* bona tamen quæ per successionem sperantur, nomen hæreditatis, quod juris est, non consequuntur, nisi per mortem testatoris, quia, ut dixi, hæreditas est successio in jus defuncti, Vid. *Zoef. ad tit. ff. d. hæred. vel act. vend. n. 1. & 2.* quapropter illa ob diversam solummodo considerandi rationem in dévolvendam & delatam, sive in futuram & præsentem à Dd. dividitur.

V.

Hæreditas futura de jure civili Romano non est capax emptio-
nis & ventitionis, cum de eâ omnis conventio, & sub quo-
cunque etiam colore pactum prohibetur *l. ult. Cod. d. paet.* ob diver-
sas, quas infra tangam, rationes; Excipe 1. si de hæreditate
incerti agatur, tum enim tanquam emptio spei sive societas con-
ventio sustinetur, *l. 8. ff. d. contrah. empt. l. 3. §. 2. ff. pro socio.*
Trentl. vol. I. disput. 6. th. 8. lit. C. Carpz. part. 2. const. 35. defini-
17. n. 12. & seqq. & 11. si ille de cuius successione actum est con-
sererit. dict. l. ult. Cod. d. paet. Harim. Pistor part. 4. quest. n.
n. 29. Carpz. dict. const. 35. def. 19.

V I.

Optimè ex Ramat. in cap. quamvis X. de paet. in pr. n. 2. ob-
servavit sèpè laudatus Carpz. supracit. def. 17. n. 2. quod regulæ
& prohibitionis istius circa pactum de hæreditate viventis ratio
adæquata dari vix possit, id quod in causâ quoque fuisse vide-
tur, ut consuetudine sensim contrarium inoleverit, siquidem
legem *ult. Cod. d. paet.* desuetudine esse inumbratam testantur Dd.
communiter, in terminis *Christian. Schönen in disput. d. matrim.*
ad morganat. cui anno 1668. in Athenæo Bremano præsedit,

6 DISSERTATIO JURIDICA

ibid. 14. & pacta de futura hæreditate indistinctè hodiernis moribus valere tradunt, *Ant. Matthæi ad l. 3. Cod. d. collat. §. 10. Sruu. synt. jur. civ. Exercit. 6. th. 44. item in Jurisprud. forens. lib. 2. tit. 35. Aphorism. I. Sam. Stryk in exam. jur. feud. cap. 4. quest. 27. in fin. Schulzen. in dissert. d. commod. propt. tert. quæ anno 1683. in Viadrinâ ipso præside ventilata est, cap. 2. §. 1. in fin.*

V II.

Neque obstat quod duo solùm modi consequendæ hæreditatis in jure reperiantur, testamentum scil. & lex §. fin. *Inst. per quas person. cuique acquir. l. 1. ff. d. heredit. petit. moribus enim nostris tertium modum, ex pacto nimirum, accessisse testatur supra laudatus, Stryk d. success. ab intest. cap. 1. §. 5. & 6. quem secutus est Hoppius ad §. ult. Inst. per quas pers. cuique acquir. quest. 32. idem tradit. Andler. in Jurisp. publ. & privat. lib. 2. tit. 5. n. 1.*

V III I.

Nec meam de indistincto pactorum de futurâ hæreditate valore infringit sententiam; quod illa contra bonos mores esse videantur, utpote quæ votum captandæ mortis implicent: ex eo enim argumento substitutio pupillaris, donatio omnium bonorum retento usufructu, quævis donatio mortis causa &c. turpitudinem præfherent, cum non minus ac pacta de futura hæreditate votum captandæ mortis involvant, & eo non attento tamen omnia illa negotia subsistunt, etiam ipso jure civili §. 4. *Inst. d. pupill. substic. l. 35. §. 5. Cod. d. donat. vid. Bacchov. ad Treutl. volum. 1. disp. 6. th. 8. litt. A; imò per bonos mores, de quibus l. ult. Cod. d. paet. meminit, cum Fabro in Cod. lib. 5. tit. 9. def. 6. n. 10. civiles intelligo, nullatenus naturales, siquidem aliàs ejusmodi pacta jurejurando confirmari non possent (quo argumento bene utitur idem Fab. cit. loc. n. 8. & 9.) id quod tamen in capit. quamvis X. d. paet. expresse traditur, vid. Covarrur. ibid in relect. part. 3. rejicienda proinde etiam est sententia Treutleri vol. 1. disp. 6. th. 8. litt. E. quod nec*

I N A U G U R A L I S.

nec statutum, nec consuetudo in contrarium admitti debeat, si-
cuit recte sentit Bacchov. in animadu. ad Trentl. ibidem.

X.

Neutquam verò existimandum est, quasi pacta de futurâ hæ-
reditate tertii viventis & inscii facultatem testandi auferant, manet
enim ipsi de cuius hæreditate ita actum est, libera testamenti factio,
quâ mediante collateralibus, utpote quibus nec re nec spe successio
debetur, præteritis, hæreditatem in alium transferre potest, etiamsi
fratres & sorores habeat, §. 1. Inst. d. in officiis. testam. l. 27. Cod. eod.
Schneid. ad pr. Inst. d. exhibered. lib. n. 13. & seq. sicut & ascendentess
plena de suis rebus disponendi libertatem retinent in tantum in
quantum illam lex concessit, neque res inter alios acta ipsis nocere,
aut privatorum pacta testamenti factionem, quæ juris publici est,
adimere possunt, per vulgata.

X.

Mirari sanè licet cuivis rem penitus rimanti, cur Dd. ferè omnes in tribus prætacticis rationibus pro sustinendâ legem ult. Cod. d. pact. constitutione acquieverint, nec viderint easdem omnes & singulas exceptioni in eâdem lege formatæ opponi posse, neque enim quoad memoratas causas prohibitionis differentiam inter hæreditatem consentientis & inscii satis perspicio, imò qui cum Treutlero statuunt, quod contra sàpè citatam legem ult. nec statuto nec consuetudine aliud introduci queat, illi pactorum dotalium, confraternitatis, ganerbinatus &c. obliviouscantur necesse est.

X I.

Probato, quod de hæreditate futurâ pacisci, moribus indistinctè liceat, nullus dubito, quin vendi illa quoque de consuetudine possit, siquidem ubi eadem est ratio, idem quoque jus esse debet per §. 1. Inst. quib. mod. jus patr. pot. toll. §. 1. Inst. d. emper. vendit.

DISSESSATIO JURIDICA

vendit. l. 32. ff. ad leg. Aquil. l. 108. ff. d. V. O., multò magis concessum est, pactum de vendendo desuper iniri; Nec obstat, quod rerum hæreditiarum qualitas & quantitas contrahentibus ad amissim nondum cognita sit, quia id proprium est emptionis venditionis, quæ per aversionem appellatur, ut in universo constituatur pretium, re omni non satis explorata & perspecta Rauchbar. part. I. quest. 21. n. 6. Carpz. lib. 5. resp. 25. n. 1. seqq.

X I I.

Consequitur talis emptor omne jus quo suo autori competere posset l. 2. pr. ff. d. hered. vel action. vend. quia vicem hæredis obtinet dict. l. 2. §. 15. l. 9. ff. commun. predior. & titulus emptionis omne vendoris jus in emptorem transfert, perinde ac si jure hæreditario hæreditas ipsi esset delata Carpz. part. 3. const. 21. def. 7. n. 4. & seq., unde rectè concludo, posse emptorem ejusmodi futuræ hæreditatis, si illa postea per mortem testatoris existere cæperit, propriâ autoritate & absque judicis interventu bona hæreditaria occupare, quia id vendori licuit, saepe citatus Carpz. part. 3. const. 9. def. 27. n. 4. Cothm. vol. 2. resp. 51. n. 8. & 9. neque tenetur co-hæredum, si quos fortè habuit vendor, adventum expectare, antequam occupet hæreditatem, sed juri suo ut primum invigilare potest, satisque aliis provisum est, quod primò occupans teneatur illis inventarium seu juratam specificationem edere, per ea quæ habet Carpz. part. 3. const. 33. def. 6.

X I I I.

Solennitates de jure civili Romano ad inventarium tale, ut legitimè confectionum dicatur, requisitæ, maximâ ex parte in usu esse desierunt Rauchbar part. 2. quest. 24. n. 21, hodieque communiter sufficit, si per Notarium publicum & testes effectus hæreditarii fideliter consignentur, ipsaque annotatio à Notario subscribatur Hoppius ad §. 5. Inst. d. hered. qual. & differ. quest. 16., ubi notandum, quod mos regionis quoad confectionem inventarii servandus

A N N A U G U R A L I S.

dus sit, et si juri communi contrarietur, ex sententiâ Pruckmanni consil. 47. n. 4. 5. & 6. Oportet interim omnes res, quæ in hereditate inveniuntur, recenteri in inventario, neque tamen vitiatur illud, si ex. gr. centum, quæ hæreditati quidem debebantur, sed de quibus litteræ obligationum nullæ in hæreditate reperiebantur, penitus omittantur, uti ex Franc. de Porcellin. tract. d. confit. invent. cap. 3. n. 2. statuit citatus Pruckmann. dict. consil. 47. n. 29; Et citationem interessatorum, bonorumque æstimationem hodie non amplius observari testatur Brunnem. ad leg. ult. Cod. d. jur. delib. & Ant. Fab. in Cod. eod. tit. def. 17.

X I V.

Quod delata seu præsens hæreditas ipso etiam jure civili Romano emi & vendi possit, extra omne dubium est tot. tit. ff. & Cod. d. hæred. vel action. vend.; ubi statim sub initium in controversiam cadit, utrum venditio talis absque inventario perfici & subsistere possit; id quod rectè cum Ant. Matthei disp. 15, quæ est d. contrah. empt., §. 7. & disp. 6. in qua d. transact. agit, §. 9. affirmare licet, quia contrarium nullibi in ll. statutum est, verùm quod venditio ejusmodi etiam sine inventario valeat, haud obscurè colligitur ex l. 14. §. 1. & l. 15. ff. d. hæred. vel act. vend., neque id suâ caret ratione, siquidem cum universitas in contractum ducatur, non attenditur ad numerum, mensuram, aut quantitatem, sed sive quid desit, sive quid abundet, id totum damno vel commodo emptoris cedit, vide quos allegat Ranchbar part. 1. quest. 2. n. 91.

X V.

Ex quo deinde fluit, quod in emptione & venditione hæreditatis remedium legis. 2. Cod. d. rescind. vend. locum non inveniat Struv. Exercit. 23. tb. 88. nam si vendo tibi hæreditatem Titii, quæ fortassis æstimatur 1000 aureis, & ego vendo 100, certè valebit celsio, & hoc ideo, quia in hæreditate multa latent, posset enim fieri, ut Titius defunctus, quamvis multa reliqueret, idem etiam

B

multum

DISSE R T A T I O J U R I D I C A

multum deberet, & ideo propter hanc incertitudinem & periculum
potest fieri cessio magnæ actionis pro pretio parvo, & est valida,
in terminis *Sichard. ad l. 22. & 23. Cod. mand. in fin.* Adde quod in
hoc contractu evictio in particularibus non præstetur, uti *infra. art.*
21. demonstrabitur.

X V I.

Celebrare quis emptionem & venditionem hæreditatis non tan-
tum per se potest, sed & per alios, qui vel mandatum speciale ha-
bent, vel etiam cum liberâ, quia hoc illi per omnia æquiparatur
Schneidew. ad §. 5. Inst. per quas pers. cuique acqu. n. 147. est verò
mandatum cum liberâ, quando plena mandatario potestas data est
l. 10. Cod. d. procurat. vel si is ita instructus sit, ut omnia queat
agere, quæ cuivis ipsi in personâ præsenti facere liceret *l. 60. §. 4. ff.*
mand. ibique Goibofred. in not. litt. x., & quando promisit dominus,
se ratum habiturum, quicquid fecerit mandatarius Bartol. in l. 58.
ff. d. procurat. cuiusmodi cum liberâ mandatum facultatem venden-
di, transfigendi, alienandi, permutandique tribuit *l. 9. §. 4. d.*
acqu. rer. dom. ditt. l. 58. Gail. lib. 2. obs. 72. n. 10.

X V I I.

Nec concessum est mandanti pro lubitu a contractu resilire, aut
mandatarii facto contravenire, siquidem ex quo de mandato con-
stat, dominus cogitur ratum habere, quod actum est, *Specul. lib.*
1. part. 3. d. procurat. §. ut autem 4. n. 12, & ad id contra nolentem
prodita est actio mandati contraria *l. 10. §. 11. ff. mand. vel contr.*
quia re non amplius integrâ locus pænitentie nullus superest §. 9.
Inst. d. mand. ibique DD. comm. sed utrumque alterutrius interesse
cœpit, quilibet ex conventione tenetur.

X V I I I.

Minus porro dubii est, quod is tecù vendat hæreditatem, cui
illa

I N A U G U R A L I S. II

illa antè donata vel cessa est, donari etenim hæreditatem ac cedi posse expeditum est *Mascard.* *d. probat. vol. I. concl. 44. n. 1. seq. Pruckmann. consil. 13 n. 117. Menoch.* *vol. 5. consil. 416. n. 16.* siquidem cum plena donatio dominum efficiat rei donatae, & omne jus quod competit cedenti cessione facta competit at cessionario citatus *Menoch. diet. loc. n. 21.* nemo dubitabit, quod is cui hæreditas donata seu cessa est, eam validè vicissim alienet ob memoratas rationes & *I. 21. Cod. mand.* adde *consil. Marpurg. vol. I. consil. 30. n. 82. seqq.*

X I X.

Vendor tenetur emplori ante omnia ad hæreditatem præstandam *I. 14. §. 1. ff. d. hered. vel act. vend.* vel si nulla sit hæritas, aut ad venditorem non pertineat, ad restituendum pretium unà cum intereste *I. 7. 8. & 9. ff. eod.* dummodo ignoraverit vendor nullam esse hæreditatem, secus tenetur etiam de dolo *I. 12. ff. eod. I. 21. pr. ff. d. act. empt.*; quæ omnia cessant, si spei emptio celebrata sit *I. 10. & 11. ff. d. hered. vel act. vend.* spes enim emi *I. 8. in fin. ff. d. contrah. empt.* & donari potest *I. 3. Cod. d. donat.* sicut enim tum emolumentum negotiationis, sic & periculum ad emtorem pertinet *diit. I. 10. in fin. & I. 2. §. 9. ff. d. hered. vel act. vend.*

X X.

Porro vendor, qui nondum certus de quantitate aut qualitate hæreditatis, persuadente emptore, tanquam minimam vendiderit, quæ postea ampla apparet, ad eam præstandam cogi non potest *I. 4. Cod. d. hered. vel art. vend.*, quo casu tamen requiritur, ut dolus persuadentis intervenerit *gloss. & DD. commun. ibid. & intit. ff. & Cod. d. rescind. vend.* qui tamen ex eo non satis probatur, quod emptor rem, quam emere intendit, vituperaverit *I. 9. pr. ff. d. dol. mal.* quia venditori eam laudare cceditur in *I. 19. pr. ff. d. adil. edict. & regulare est*, quod emptor viliore comparandi, vendor cariore distrahendi votum gerentes ad emptionis venditionis contractum accedant *I. 8. Cod. d. rescind. vend.*

12. DISSERTATIO JURIDICA

XXI.

Non tantum corpora quæ possidet, tenetur venditor hæreditatis emptori tradere, sed & jus, res, quas fortè non tenet, persequendi, imò omnes actiones hæreditarias tam in rem, quam in personam, cedere l. 2. §. 8 ff. d. hared. vel act. vend. Struv. Exercit. 23. 1b. 71. & omnia præstare quæ tempore initæ venditionis ad hæreditatem pertinuerunt dict. l. 2. per rot. ; Ad evictionem autem postea rerum singularium non est obligatus l. 1. Cod. d. evict. l. 2. pr. ff. d. bared. vel act. vend. l. 25. §. 1. ff. d. contrab. empt. siquidem non res singularis in hoc contractu, sed in universo hæreditatis venditur, quæ nomen juris est, adeoque augmentum & diminutionem recipit l. 119. l. 178. §. 1. ff. d. V. S. & jus hæreditatis amissa hac aut illâ re in ceteris adhuc absistit Sichard. ad rubr. Cod. d. hared. vel act. vend. n. 2. & sicuti lucrum omne ad emptorem hæreditatis respicit, ita dampnum quoque ad eundem debet respicere dict. l. 2. §. 9. et subseqv.

XXII.

Excipe 1. si venditor asseruerit rem hanc vel istam esse hæreditariam, si namquæ illa postea evincatur, tenetur venditor de evictione l. 14. & 15. ff. d. hered. vel act. vend. adde l. 18. ff. d. adil. edit. 2. si evictio rerum particularium promissa sit, licet enim aliàs evictio inter naturalia emptionis & venditionis numeretur, in hæreditate tamen venditâ illa non aliter, quam ex pacto speciali adjecto præstatur per supra alleg. 3. Si venditor inventarium emptori tradiderit, uti docet Professor olim meus in Albertinâ ad Pregram D. Achat. Christ. Ranger in pralect. ad Schottan. exam. jurid. tit. d. hared. vel act. vend. quest. teneturne venditor.

XXIII.

Vendor subtilitate juris hæres quidem manet per regulam
XXX. 521 gene-

generalem l. 88. ff. d. hæred. instit. l. 7. §. 10. in sin. ff. d. minor. ac proinde omnibus, qui adversus eum, quā talem, actionem movent, respondere cogitur l. 2. Cod. d. hæred. vel act. vend. l. 2. Cod. d. legat. tum quia hæreditis character indelebilis est, tum quia hæreditatem habere videtur, qui premium ejus habet Brunnem. in repet. paruit. Wesenb. tit. d. hæred. vel act. vend. quest. 5. ne tamen ille damnum ex venditione sentiat contra l. 2. §. 9. ff. cod. repetit actione ex vendito dict. l. 2. §. 3. 7. & 18., sive ex stipulatu, si stipulatio fuerit interposita, uti fieri solet, teste Zoëf. ad tit. ff. d. hæred. vel act. vend. n. 4. quicquid legatariis aut aliis creditoribus hæreditariis forte præsttit.

XXIV.

Quamvis regulariter ad semel jure amissa non detur regressus, & semel emortuum difficulter resurgat, in materia tamen emptæ & venditæ hæreditatis singularis reperitur reviviscitæ locus, et si enim debita & servitutes, quibus ante mortem testator hæredi obstrictus fuit, postea per confusionem extinguantur l. 95. §. 2. ff. d. solut. l. 1. ff. que madmod. servit. amitt. (excipe quod hodie, si hæres inventarium consecerit, hujus beneficio salvæ conserventur actiones inter ipsum & defunctum l. fin. §. 9. Cod. d. jur. delib.) venditâ tamen deinde hæreditate illa omnia reviviscunt l. 2. §. 18. ff. d. hæred. vel act. vend. l. 9. ff. commun. præd. id quod non obtinet, si res hæreditaria particularis vendatur per l. 30. pr. ff. d. servit. præd. rustic. Zoëf. ad tit. ff. d. hæred. vel act. vend. n. 9. Struv. Exercit. 23. th. 78.

XXV.

Emptor hæreditatis consequitur quidem idem jus, non plus nec minus, quam ipse vendor habuit, quia tamen vicem hæreditis tantum obtinet non directæ, sed utiles ipsi dantur actiones l. 16. ff. d. patr. l. 5. Cod. d. hæred. vel act. vend. ibique Perez. n. 3. & Donell. n. 23. seqq. passim autem nullo judicio obstrictus est,

24 DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

nisi ipse ultrò velit l. 2. Cod. cod., vel venditor non sit solvendo arg. l. 94. §. 1. ff. d. legat. i. Arumentus lib. 1. dec. 12. per tot. aut filius vendiderit l. 1. Cod. d. hared. vel. act. vend. ibique Zoëf. n. 3. l. 41. ff. d. jur. fisci.

X X V I.

Coronidis loco annexenda adhuc est quæstio inter Dd. valde controversa, an scilicet, si cohæres deficiat, portio deficientis illi, qui cohæredis alterius partem emit, vel ipsi hæredi venditori accrescat? & quamvis sint, qui priorem sententiam amplectantur, ego tamen cum Siruv. Exercit. 23. th. 70. ad emptorem ex jure accrescendi hoc casu nihil pertinere arbitror. arg. l. 2. §. 1. & 2. ff. d. hared. vel act. vend. l. 69. ff. d. contrah. empr.



C O.

A VI



GOROLLARIA.

I.

*Fratrum germanorum liberi, soli si extent,
succedunt patruo in capita.*

II.

*Stuprator eam, qua postea meretriciam vi-
tam elegit, nec dotare, nec ducere te-
netur.*

III.

*Fidejussio non potest obligationi conditiona-
li purè accedere, contra potest.*

IV. Is

I V.

Is qui criminis Expilate hereditatis alium
insimulat typo publico, & extra judi-
cium, tenetur pānā extraordinariā fa-
mōsi libelli.

F I N I S.

